

longæ sunt, acuminatæ et serratae. In singulis ramulorum summitta-tibus *flos* oritur unicus, radiatus, aurantii coloris, Tagetis flori similis, et *calice* contentus, plurimis acutis squamulis composito. Tota vero planta Tageti est simillima, ejusque species esset censenda, nisi obsta-ret semen, quod non alatum est, sed pappo simplici et sessili in-structum.

Juxta viam publicam legi, prope Veram Crucem antiquam, mense Martio flores ferentem, ut et semen, sed nondum penitus maturum. Magnitudo singularum partium tertia circiter parte major est, quam quæ in figura exprimitur.

*Tab. 19. ASTER* Saturejæ foliis, conjugatis et pilosis, flore luteo (*a*).

*Caules* habet firmos et lignosos, quales suffruticum esse solent, unde perennis videtur planta. E caulis multi oriuntur *ramuli*, tenues, teretes, et brevi lanugine pubescentes. Dimidii pollicis intervallo *folia* nascuntur angusta, oblonga, firma, Saturejæ foliis similia, conjugati apposita, et pediculis destituta. Ad oras prope basin oriuntur quidam pili longi et rigidi, unusque impar e mucrone; cætera glabra sunt. Si vero aversam partem spectes, nigris punctis videtur notata, et lumini objicias, totidem apparent foramina. Summi ramuli nudi sunt, vel minimis quibusdam ligulis ornati; sustinentque singuli *flore* unicum radiatum luteum; cuius *calix* unico constat squamarum ordine. Marcescente flore, *semina* succedunt oblonga, nigricantia, pappo sim-plici et sessili instructa.

*Nascitur* prope Veram Crucem in collibus arenosis et cæspitosis, a mari paululum remotis. Singularium partium magnitudo naturalis in figura exprimitur.

*Tab. 20. CHRYSANTHEMUM* Americanum, humile; Origani folio, flore luteo (*b*).

E radice fibrosa, plures oriuntur *caules* teretes, tenues, herbacei et villosi; humi primo procumbentes, dein surrecti. *Folia* in his na-

(*a*) *Inula saturejaoides* Mill. *Dicitur*.

(*b*) *Herbar. Amman.* p. 475. n. 12.